

† R. P. Iacobus Langenberg.

(Vice-prov. Argentin.).

Octo diebus post, quam P. Vice-Provincialis Mathias Meier vita functus est, in eadem domo Bonaerensi alter carissimus frater ad meliorem vitam migravit, cui pietatis causa pauca saltem verba dedicare fas est.

De Moyse loquens S. Scriptura dicit: «Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra». Haec verba iure merito ad P. Iacobum Langenberg sunt applicanda. Nemo eum umquam vidit

iratum. Semper idem, semper sui compos fuit, semper Divini Redemptoris instar mitis ac humilis corde. Quae cum ita sint, non dubitamus, quin in eo eiusdem Redemptoris verba impleta sint dicentis beatos esse mites, quoniam possessi sint terram. Mansuetudine sua et omnium animos sibi devinxit, dum inter nos vixit, et vita functum terram promissionis in caelo eum obtinuisse pro certo speramus.

P. Iacobus Langenberg natus est die 11 decembris a. 1853 in Dormagen, archidioecesis

Coloniensis. Adulescens per aliquot annos scribam in officina fabricae cuiusdam in urbe Essen egit. Sed ad altiora a Domino vocatum se sentiens anno 1876 Congregationem nostram ingressus et die 13 novembris a. 1877 ad s. professionem admissus est.

Studiis absolutis anno 1886 presbyter ordinatus et anno sequenti in vice-provinciam Argentinam cooptatus est. Romam deinde vocatus per duos annos Rmō P. Generali a secretis privatis fuit. In rem publicam Argentinam reversus multum in sacris missionibus laboravit. Deerat quidem ei robur vocis ad graves de rebus aeternis sermones habendos, sed et instructiones catecheticas ad populum habebat et in confessionibus audiendis vere indefessus erat. Aestum diei nihil pendens per vicos ac rura per-



gebat, tum ut incolas ad missionem invitaret, tum ut connubia illicita ad normam iuris composita in iusta matrimonia mutaret.

Anno 1912 Rector domus nostra Montevideanae creatus est ac deinde per triennium munus magistri noviciorum gessit. Mortuo Patre Antonio Kraemer, fundatore ac primo directore operis « a matrimoniis christianis » in ecclesia nostra Bonaerensi canonice erecti, P. Langenberg anno 1914 ei in hoc salutari opere dirigendo successit. Decem circiter milia connubiorum feliciter composuit, ac nemo certe praeter Deum scit, quot aerumnas optimus Pater Iacobus perpessus sit, ut animas istas miserrimas e daemonis faucibus liberaret.

In domo nostra Bonaerensi Minister factus, mirum est, qua caritate pauperum praesertim necessitates levaverit, qui deinde in funere corpus mortui Patris secuti sunt lacrimantes ac gementes: « Quis nobis deinceps succurret? ».

Otii inimicus acerrimus, si quid temporis ab oratione et sacris ministeriis liberum erat, id omne in scribendis libris insumpsit. Qui libri, sive germanice sive hispanice conscripti, etsi ingenio non pollent, zeli tamen, quo aestuabat, argumentum irrefragabile praebent. « Volo etiam post mortem meam », ita dicere solitus est, « animabus utilis esse ».

Graviter aegrotans nec sibi parcere, nec a consuetis operibus desistere voluit, donec et a medico et a superiore suo in lecto decumbere strenuo iussus est. Die 7 martii extrema unctione et sacro viatico confortatus est. Rosarium B. M. V. semper in manibus habuit ac officium divinum paene moribundus persolvere non destitit, donec superioris iussu cessare coactus est. In ipsa delirazione nihil aliud nisi verba aedificationis plena pronuntians audiebatur. Die demum 22 martii, festo B. M. V. de Foggia, animam placidissime Deo reddidit.

Simulac nuntius mortis eius increbuit, ingens multitudo concurrit, tum ut corpus defuncti Patris inviseret, tum ut rosaria aliasque res pias ad cadaver attingeret. Omnes certatim aliquid e vestibus eius postulabant, omnium ore sanctus proclamabatur. Funeribus eius praeter Nuntium Apostolicum complures episcopi ac praelati, innumeri fere sacerdotes ac religiosi cum maxima populi multitudine interfuerunt.

Vere: « Qui se humiliaverit, exaltabitur ».

Ante omnia tibi suggesturus sum te iam non tuum, sed Iesu Christi et Congregationis esse; quare necesse esse, ut te conserves et medico obtemperes. Paucis verbis dico, ut in omnibus rebus medico oboedias (id quod regula ipsa praecepit) tam cibis oleo conditis abstinentio, quam remedia ab eo praescripta adhibendo.

(*S. Alph. ad P. Gasp. Caione, cum minus bona valetudine uteretur, die 6 iul. a. 1755.*)